

99 F 249





66  
DISPUTATIO NONA

DE BONIS OPERIBVS ET POENITENTIA.

Collecta ex Compendio Theologico Reverendi  
& Clarissimi viri, Dn. D. Heerbrandi.

*Quam*  
DIVINA FAVENTE GRATIA,

*Præside*

M. VDALRICO NAGELIO,  
Brandenburgensi,

*In Collegio disputationum privatarum 5. Calend:  
Martij defendere conabitur*

M. VDALRICVS VVERNERVS,  
Oringensis.



VVITEBERGAE  
Ex officina Cratoniana, Anno 1598.



Reverendis, Excellenti Erudi-  
tione, singulari humanitate, insigni pie-  
tate præstantissimis viris,

IN ILLVSTRI COMITATV, GE-  
NEROSI ET INCLYTI HEROIS, D. D. PHILIPPI  
Comitis ab Hoenloe & D. in Langenburg: &c: Me-  
canatis sui clementissimi,

D. M. MARTINO BACH, ECCLIE-  
sæ Neolithanæ Pastoris, ac Superattendenti dignissimo,

NEC NON

D. GEORGIO HARTMANNO,  
Eiusdem Ecclesiæ Diacono vigilantissimo, Domi-  
nis fautoribus & promotoribus suis, nullo non offi-  
ciorum genere afficiendis.

ET

*Prudentis pietatē, virtutes aliarumq; rerum usu præstanti viro,*  
D. IOANNI VVERNERO, CIVI-  
tatis Oringensis Senatori, Parenti suo charissimo,

Hasce Theses observantiæ & grati animi  
contestandi gratia, dedicat & offert,

M. Vdalricus VVernerus  
Oringensis.



DISPUTATIO  
De Bonis operibus & Pœ-  
nitentia.

*Thesis 1.*

**I**ustificacionis per fidem in Chri-  
stum apprehendendæ effectum Bonorum o-  
perum studium, quod interdum vitæ novita-  
tem hominem novum, & charitatem ex cor-  
de puro, scriptura duce appellare consuevimus, supplet.

Rom. 8.

ver. 4.

Ephes. 4.

ver. 24.

1. Tim. 1.

ver. 5.

II.

Hanc ergo doctrinam in præsentia censura verbi  
divini subjecturi, Definitionem Bonorū operum ex Com-  
pendio, D. D. Heerbrandi deprōptam, tanquam scopum  
Disputationis hujus unicum figimus.

III.

Ea vero his exprimitur verbis: Bona opera sunt o-  
pera divinitus mandata, in Decalogo comprehensa, inte-  
riora & exteriora, quæ fiunt à Renatis, fide per Spiritum  
Sanctū, hoc fine, ut DEO obedientia præstetur, gloria no-  
minis ejus illustretur, proximo inserviat, & hoc modo  
fides declaretur.

IIII.

Ubi initio ad causam efficientem operis boni, cum  
subjecti certi, in quo Bonum opus reperitur, determina-  
tione, causam formalem complectente, tum deniq; ad fi-  
nem eorundem autor collineat.

V.

Quibus omnibus in fascem collectis, Bonorum ope-  
rum naturam ad tria, ut nimirum autoritate mandati di-  
vini fulciantur, ex fide in homine, ex aqua & Spiritu re-  
nato, proficiscantur, & deniq; gloria divinæ illustratio-  
nem, & proximi salutem intendant, ascriptam esse, haud  
difficiliter perspiciamus.

A 2

Manda-

V I.

Mandato divino ad Decalogum, qui eorum, quæ facienda vel omittēda sunt, summam continet, relato, expressam DEI, de hoc vel illo opere edendo voluntatem cum interminatione judicij divini & excusationis gratiæ limitatam urgemus.

Rom. 6.  
Matth. 15.  
vers. 8.

V I I.

Atque id non sine causa, quod hæc obedientia, in novo homine, nova cultus divini, qui non arbitrarius aut liber, ex devotione profluit singulari, rationem sibi vindicat, & ad DEVM tanquam ad *αυτοάγαθον*, & bonorum omnium summum, remeat.

Deut. 4. v.  
5. 12. v. 7.

V I I I.

Verbum autoritate eius, cui operibus nostris inservimus, promulgatum cultui divino facem præfert, & nos in præceptis ipsius DEI ambulare jubet.

1. Tim. 4.  
v. 8.  
Lev. 21. v.  
45.  
1. Pet. 1.  
v. 16.  
Iacob. 1.  
v. 17.

I X.

Et propter dictum operis Boni fulcrum, hæc pietas in Bonorum numerum cooptatur, & ipsius Sancti, qui verè Sanctus est, naturam maximè sapit, & hanc esse donationem bonam à patre luminis descendentem, qui nos regeneravit sermone virtutis, vt essemus primitiæ suarum creaturarum, Iacobus scribit,

X.

Hominum autem temeritate effervescente, & animis ipsorum, ut de operibus propria sapientia freti, effingendis solliciti essent, prægnantibus, semper ad Decalogum, tanquam ad Lydium operis probandi lapidem revocantur, & *αυτονομία* extra verbi divini cancellos erumpens, e-lencticōs arguitur.

Deut. 12.  
v. 32.

X I.

Non enim tantum statutis & judicij DEI latis hæc clausula: quicquid ego præcipio vobis custodietis ut faciatis

atis, non addes ad illud, neque diminues ex eo: *πρόσθεσιν ἢ ἀφαιρέσιν* præceptorum prohibens adiicitur, sed ad maleferiatorū licentiam compescendam, tale Iehova edictum sancit: In Præceptis meis ambulate, & Iudicia mea custodite, & facite ea: in præceptis patrum vestrorum ne incedatis.

Prouer. 30  
v. 6.  
Ezech. 20.  
v. 19.

### XII.

Et Paulus admonitiones de vitæ novitate sectanda, ad sanctimoniam ad Legem ejusque summam, dilectione in DEVM, & proximum adumbratam coarctat, & operalucis in eo, ut nemini quicquam debeamus, nisi ut alii alios diligamus consistere, eruditè affirmat.

Rom. 6.v.  
19. & 13.  
v. 10.

### XIII.

Actiones nostræ, ad Legis præscriptum, conformandæ duarum sunt classium: Aliæ enim Exteriores locomotivam, ne in manifesta scelera, Ethnicis etiam abominabilia, ruat, gubernantes: aliæ Interiores ipsum cor, cogitationes ( quarum pœnam neminem pati aliàs politici distitant ) & internos animi affectus ad Dei nutum & voluntatem attemperantes, omnemque hypocriticam simulationem excludentes.

### XIIII.

Quæ individuo nexu ita cohærent, ut alterutro horum, & quidem principali, quod interiores dant actiones, destructo, nulla pietatis veræ mica, sed externa tantum operum larva & *εἰδώλον* quoddam superfit.

### XV.

Vnde fit, ut Homines ex parte tantum Bonorum operum studio vacantes, & separationem actionum fronte perfricta inducentes, speciem pietatis habere, virtutem vero ejus abnegare pronuncientur: & Christus eadem de causa Phariseos hypocriseos, quod appropinquarent Deo ore suo, cor autem eorum ab ipso procul esset, duriter satis insimulat.

2. Tim. 3.  
v. 5.  
Matth. 23.  
v. 7.  
Esa. 29.  
v. 13.

2. Cor. 4.  
ver. 16.  
Gal. 6. v.  
2. & 5. v.  
16. 24.  
25.  
Rom. 8.  
ver. 1.  
Ephes. 4.  
ver. 23.  
Colof. 3.  
ver. 20.

XVI.

Atque huius rei gratia externus noster homo corrumpitur, & internus quotidie renovatur, & Christiani pietatis studio emancipati sunt spirituales, spiritu incedunt, & concupiscentias carnis non perficiunt, carnem cum affectibus & concupiscentijs crucifigentes, spiritu vivunt, spiritu mentis suæ renovantur & iustitiam ac sanctitatem VERAM habent.

XVII.

Matth. 5.  
v. 22. 24.  
26. 27.  
Luc. 6.  
ver. 27.

Legis etiam determinatio, qua eadem spiritualis est, idem comprobatur, & Christus legem operum nostrorum exactissimam à fermento Phariseorum repurgaturus, pristinaeque integritati restitutus, pravorum affectuum Euripo obicem poni debere, & inimicos diligendos esse, si legis obedientiam explere quis suscipiat, firmiter statuit.

XVIII.

1. Cor. 5.  
ver. 12.  
Ephes. 2.  
ver. 12.  
1. Cor. 12.  
ver. 13.

Atque hoc quod tam magnifice deprædicamus, eorum opera, qui extra sunt, alieni à testamentis & promissionibus, ab operibus Christianorum, qui intus sunt & membra unius corporis Ecclesiae, discriminat.

XIX.

Rom. 2.  
ver. 14.  
Rom. 1.  
ver. 18.  
1. Cor. 12.  
ver. 2.  
Ephes. 2.  
ver. 3.

Etenim Gentes natura quæ legis sunt faciunt, & nihilominus veritatem in iniustitia captivam detinent, dum gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem corruptibilis hominis commutant, ac ad idola muta abripiuntur, & quæ carni ac cogitationibus placent, faciunt.

XX.

Rom. 6. v.  
4. 12. 13.

Filij autem lucis sunt homines Novi, in iustitia & sanctitate coram DEO viventes, nec amplius membra sua præbent serva iniustitiæ, sed fiunt servi iustitiæ, peccatum in mortali corpore regnare non sinunt, nec obediunt peccato in cupiditatibus corporis.

Non



Non immerito autem, ut id, in quo totius negotij cardo vertitur, patefcat, Formali causa Bonorum operum animus imbuendus.

## XXII.

Eam subjectum, in quo vitæ inculpatæ studium emicat, & causa illius remota & Spiritus Sanctus nobis supeditat.

## XXIII.

Nam homo ex aqua & Spiritu renatus, in numerum civium Ecclesiæ relatus, & à Spiritu Sancto, cor mundum, creante, ad omne opus bonum inflammatus eoque adjutus, in vera fide ejusmodi actiones, DEO gratas & acceptas edit.

Ioha. 3.  
ver. 21.  
Psal. 51.  
ver. 12.

## XXIV.

Atque ad modum jam expressum, hujus loci doctrinam rectè æstimari patet, quod opera bona, quæ fructuam appellationem obtinent, ex arbore bona γένσιον nomen suum adipiscuntur.

Tit. 3. v. 9.  
Matt. 12.  
ver. 32.

## XXV.

Nervosam rei, quæ in quæstione posita est, assertionem nobis ex ca. 12. Matthæi subministrari scopus Salvatoris inibi in concione propositus, facili labore demonstrat.

## XXVI.

Nam de Phariseorum, miracula Christi, quod nimirum Diabolum mutum & surdum eiciebat, exhibilantium iudicio sinistro, ex personis, certi & indubitati quid colligendum esse autumat, illudq; opus Pharisaicum inde, quod ipsi arboris bonæ, tanquam veri palmites, viti Christo per fidem insitæ naturam minimè referebant, è beatorum numero rectè exterminari docet.

## XXVII.

Et sententiam suam in apertum lucemq; sic profert: progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali. Sunt autem mali in Filium non credentes, in eiusque doctrinam fiduciam nullam ponentes.

Ioha. 3.  
ver. 34.

Quid?

Gal. 5. v. 6  
Ebr. 11. v. 6.  
Rom. 14. v. 13.

Quid? quod dilectio Christiana Deo grata non in quo-  
libet sese homine offert, sed eandem fides operatur, & si-  
ne fide Deo placere impossibile est, imò quicquid non ex  
fide promanat, est peccatum.

## XXIX.

1. Pet. 2. v. 5.  
Ephes. 2. v. 10.  
Coloff. 3. v. 17.  
2. Theff. 1. v. 11.

Sic hostias spirituales, ( quæ bona sunt opera Rom. 12. v. 1. ) Deo non simpliciter & absolutè, sed per Chri-  
stum acceptas, offerre jubemur, & in Christo Iesu ad bo-  
na opera conditi sumus, omnia quæ verbo & facto susci-  
pimus, in nomine Iesu agimus, & mutua cuiusque cha-  
ritas fidei opus est.

## XXX.

Prover. 21 v. 27.  
Psal. 32. v. 1.  
Eccles. 35. v. 9.  
Iohan. 9. v. 31.  
Esa. 1. v. 15. 16. 18.

Ac hominum per fidem in Christum non justifica-  
torum sacrificia, hac de causa, D E O abominatio sunt,  
quod in peccatis, quæ apud impios tecta & remissa non  
sunt, abominationem redolent; hinc sacrificium I V S T I  
est acceptum, PECCATORES autem DEVS non exaudit,  
& peccatis Iudæorum sanguine Christi non ablutis, Ieho-  
va omnia ipsorum sacrificia respuit.

## XXXI.

Ephes. 1. v. 13.  
1. Cor. 12 v. 3.

Spiritum sanctum autem, quo Christiani, postquam  
crediderunt, ob signati sunt, hæc omnia, quæ vitæ integri-  
tatem tuentur, operari, & neminem, nisi per Spiritum  
sanctum, Iesum Dominum dicere posse indubium est.

## XXXII.

Philip. 1. v. 27.

Vt scriptura eos, qui Evangelio dignè ambulant, se-  
cundum

cundum spiritum incedere, orationi vacantes per Spiritum sanctum Abba pater clamare, & Spiritu duci attestetur.

Rom. 8.  
v. 1. 5. 14.  
Gal. 5. ver.  
18. 25.

XXXIII.

Finis bonorum operum triplex assignatur, Nominis divini gloria, Proximi commodum, & denique Fidei ostensio.

XXXIII.

Etenim conversationem nostram inter Gentes honestam habemus, ut nostra bona opera videant, & DEVM glorificent; & in cursu pietatis, pleni fructibus justitiæ, ad laudem & gloriam Dei pergimus.

1. Pet. 2.  
ver. 12.  
Phil: 1.  
v. 10. 11.  
Tit. 2. v.  
5. 10.

XXXV.

Proximi commodum Apostolus Paulus, quando vult ut nostri operibus bonis prodesse ad necessarios uis discant, connotat, atque id ipsum suavissima membrorum unius corporis harmonia, & mutua cura vivis quasi coloribus depingit.

Tit. 3.  
ver. 14.  
1. Cor. 12.  
ver. 25.

XXXVI.

Fidei declaratio perstat, quod lux nostra non sub modio ponenda, sed lucere jubetur CORAM HOMINIBUS, ut videant nostra bona opera; & fides nostra sine operibus mortua est, fidei Dæmoniorum, ad notitiam articulorum fidei contremiscentium, æquiparanda.

Matth. 5.  
ver. 15.  
Iacob. 2.  
v. 19. 20.

XXXVII.

Hinc ergo Archonticorum turpitudinem quandam sectantium, & pietatis studium ex Ecclesiæ finibus exterminantium, delirium patet.

August. li.  
de hæres:  
cap. 20.

XXXVIII.

Pontificiorum etiam calumnia cum impietate conjuncta est, quando contra publicorum scriptorum, in Ecclesiis nostris evulgatorum, protestationem, à nostris bona opera prohiberi, & de fide tantum doceri clamitant.

Vide Can.  
10. Decret:  
Cōc. Trid.  
de fructu  
Justific.  
Art. 20.  
Conf. Aug:

B

Nam

Confes: Nam opera bona à Iustificatione, ut locum causæ ad ju-  
August: stificationem non habeant, removentur, & fidei effectum  
artic: 5. suppeditare perhibentur.

XXXIX.

Bellar. lib. Nec ullum cum scriptura consensum alit, quod Ele-  
2. de Mo- sticios cultus, præter verbi divini astipulationem aper-  
nach. cap. tam, Concilia Evangelica & Ecclesiæ mandata, sine æ-  
16. Hofius ternæ salutis dispendio, ut ipsi garriunt, non ommittens  
in Confes: da huic loco assuunt.  
Cathol. fid. cap. XL.  
48. fol. 70.

Coloss. 2. Frustra enim DEVS mandatis hominum colitur, &  
v. 16. Paulus ἐτελοθρησκείαν ἐν ἀφιδία σώματος & delectu ciborum  
consistentem apertè damnat.

XLI.

Canō. 32. In fine bonorum hallucinantur hæretici modo dicti,  
Decret: quod eadem, ut meritoria augmenti gratiæ & vitæ æter-  
Sex: Cōc: næ, contra manifestam Christi asseverationem Luc. 17.  
Trident. suscipiunt.

XLII.

Beza parte Denique & Calviniani homines peccatis mortali-  
1. quæst: bus conquinatos Spiritum Sanctum, qui operum bono-  
& respopf: rum Magister est, non excutere, sed eundem interrumpi  
fol. 107. in gravibus tentationibus nunquam penitus eripi, & sic  
Colloq: Christi in medio lapsu esse Rom. 8. affirmantes, in repre-  
Mompel- hensionem incurrunt.  
gard: fol: XLIII.  
463. &  
464.

Atque tantum de prima Disputationis parte dixisse sufficiat, superest, ut de Pœnitentia pauca quædam delibemus,

XLIV.

Luc. 13. Cuius significationem variam, qua ea vel prototo  
& 15. conversionis actu, vel pro prima eius parte accipitur,  
quemadmodum & Definitionem silentio prætereuntes,  
duabus

duabus eandem constare partibus Contritione videlicet  
& Fide arbitramur.

XLV.

Tertiam enim ab alijs adjectam, propositum vide-  
licet emendandi, poenitentiae effectum statuit.

XLVI.

Contritio est peccati admissi detestatio & dolor ve-  
ritatem affectus, qui ex agnitione delicti concipitur,  
prodens, qua errorem confitentes, non vestimenta, sed  
corda scindimus, & audito verbo, corde compungimur, &  
cum Davide dicimus: peccavi Iehovæ.

Ioel. 2. 12.  
13.  
Actor. 2.  
ver. 37.  
Levit. 26.  
ver. 40.  
2. Sam. 12.  
ver. 13.

XLVII.

Ex lege vero, quæ iram operatur, & ut peccatū ex-  
cellenter fiat peccatum, ortum trahens, & veræ in Chri-  
stum fidei mixta, in Evangelio desinit, & sic dolor fit se-  
cundum DEUM.

XLVIII.

Etenim si in peccati solū consideratione, cogita-  
tionibus se invicem accusantibus, hæret, dolor est se-  
cundum mundum, & cum Iuda homines in desperatio-  
nem & æternam damnationem rapit.

Rom. 2.  
ver. 15.

XLIX.

Atque hic non verus Resipiscentiæ in scripturis man-  
datæ usus sed abusus est. Nam ea Contritio, quam DEUS  
in verbo suo requirit, divinitus in nobis excitatur, ut Ie-  
remias oret, Convertite me Domine & convertar, postquā  
enim convertisti me, egi poenitentiam, confusus sum &  
erubui: altera verò huius mundi dolor est, carniq; op-  
pus esse enuntiatur.

Jerem. 31.  
ver. 18.  
2. Cor. 7.  
ver. 10.

Partem hanc primam in poenitentia DEUS urget, non  
ut remissionem peccatorum impetret, sed ordinem po-  
tius certum hominis convertendi sanciat.

Matth. 4.  
ver. 18.  
Marc. 1.  
ver. 15.  
Actor: 3.

B 2

Haud 19.

## L I.

Rom. 10.  
ver. 17. Haud aliter quàm, non propter verbi auditum, tan-  
quam causam, fides in nobis excitatur, sed ordo, quem  
fidem desiderantes sequi necesse habent, intenditur.

## L I I.

1. Cor. 1.  
ver. 30. Partem pœnitentiæ alteram Fides, quæ Christum à  
Rom. 4.  
ver. 18. Patre nobis factum justitiam, sanctificationem & libera-  
tionem *πληροφροσνῆ* quadam statuit, largitur.

## L I I I.

Matth. 3.  
ver. 2. Unde Ioannes pœnitentiam prædicaturus, populum  
Luc. 24.  
ver. 47. acclamat: Agite pœnitentiam & credite Evangelio: &  
Salvator iussu suo pœnitentiam & remissionem peccato-  
rum in nomine suo annunciatum iri significat.

## L I I I I.

Luc. 19.  
ver. 6. Eandem etiam fidem in Zachæo publicano ficum, ut  
Christum videret, eiq; vera fiducia, peccatis agnitis, ad-  
hæreret, ascendente deprehendimus.

## L V.

August. li.  
de hæres.  
c. 38. Ad lucem ergo meridianam Cathari & Novatiani  
Ezech. 18.  
ver. 27. p̄fis veniam denegantes, & sic hoc salutare ad DEVM  
& 33. v. 11. convertendi Medium, ex verbis Epistolæ ad Ebræos cap.  
Esa. 1. ver. 6. ver. 4. sinistrè acceptis, contra manifestum Ezechielis  
& Esaiaæ pronuntiatum, ex Ecclesia eliminantes.  
16. 18.  
Ier. 18. v. 8.

## L V I.

Concil:  
Trident: Confessionem omnium peccatorum sufficientem (Deli-  
sels: 4. sub cta autem quis intelligit? ab occultis munda me Prophe-  
ta David inquit, Psal. 19. ver. 13. ) & Satisfactionem,  
Iulio Ter- ta David inquit, Psal. 19. ver. 13. ) & Satisfactionem,  
rio cap. 3. pœnas à Sacerdote iniunctas comprehendentem, pœni-  
8. & 4. tentiæ

tentiæ partes effingunt, & contritionem peccatorum remissionem impetrare mentiuntur.

L VII.

His itaque delirijs abjectis, in doctrinæ capitibus hætenus consideratis, quæ fidei Christianæ sunt *ὁμολογήματα*, amplectimur, & per Spiritum Christi inflammati, pœnitentiam agentes, fructus eadem dignos edimus.

ΠΡΟΣΤΙΘΕΜΕΝΑ.

1. Bona opera justitiam & salutem conservare, non nisi Decret. 8. Cōc: Trid. can. 14. cum articuli, de Iustificatione, detrimento & corruptione, Iesuitarum factio asseverat.

2. Locutionem hanc: Bona opera sunt ad salutem necessaria, tempore INTERIM à quibusdam Theologis Augustanam Confessionem amplectentibus usurpatam, quæ contra Pauli mentem, Rom. 4. ver. 6. currit, cum Formula concordie merito repudiamus: & Bona opera mandati necessitate necessaria esse credimus, quemadmodum & hanc propositionem: Bona opera ad salutem sunt perniosa: ita nudè defensam in Ecclesijs benè constitutis, minimè tolerandam esse censemus. Formula Concord. iu solid. declar. art. 4. fol. 684. & 688.

3. Præmia seu merita Bonis operibus adiudicantur, non ratione justitiæ & salutis, sed potius adiuncti eiusdem, justitiæ & vitæ æternæ adherentis: Præmia autem illa promittuntur ex gratia & misericordia. Vide Apo. log. Conf. August. in 4. Art. fol. 94. Chem: part. 1. Exam. de bonis operibus quest. 4.

4. Pœnitentia Elemento visibili & externo destituta, cum Sacramento propriè sic dicto affinitatem ex omni parte non contrahit.

Formul: 5. *Evangelium generaliter sumptum: pœnitentiæ prædis-*  
 Concord: *cationem & peccatorum remissionem docet: In P R O*  
 in solid.de *P R I A* autem significatione æstimatum, & à lege distina  
 clar. Art. 5. *Etum pœnitentiæ concio non est, nec peccata arguit. Aliàs e-*  
 fol. 695. *nim Legis & Evangelij munia inter se confunderentur.*  
 Rom. 3. v. *Legis & Evangelij discrimen est, quod illa est mini-*  
 20. & 4. v. *sterium condemnationis & litera occidens: hoc autem mi-*  
 15. *nisterium iustitiæ in gloria abundans & spiritus vivificalis:*  
 2. Cor. 3. 6. *quod Lex non est ex fide, sed quia ea fecerit homo vivit in*  
 ver. 6. 9. *eis, & sic nullus per Legem apud DEVM iustificatur: per*  
 Gal. 3. v. *Evangelium verò ex fide DEVS justificans gentes, DE-*  
 12. 11. 8. *VS ante Evangelizavit Abrahæ: Benedicentur in te o-*  
 Gen. 22. *mnes gentes.*  
 ver. 18.

FINIS.





Ad  
Contubernalem, popularem, & ami-  
cum sincerum.

**E**st Felix vitâ, qui rebus abundat ad usum,  
Quem mala perturbant nulla Beatus homo.  
Sed nimium Felix, Davideque teste Beatus,  
Qui tua sæpè legit sancta statuta, DEUS.  
Mens ignara DEI, & verbi illius inscia, verè  
Res stolidâ est, usus nullius, atque lutum.  
Ergò quanta Tibi debetur gloria, VVERNER  
Inclyte, constantis religionis amans,  
Quod nec opes tua sunt, nec vani gloria mundi,  
Sed rectum æternæ cura salutis iter.  
Quod sacra scrutaris studio monumenta flagranti,  
Inquirisque probas cum gravitate, quod est  
Ob merita Electus nemo, ob mala nemo Repulsus  
A pravis rediens, Gratus ubique DEO.  
Sic pergas, DIVES cui fecit GRATIA Nomen,  
Sicque DEO, & PATRIAE GRATIS AMICUS  
eris.

M. Ioannes Philippus Vollock,  
Heilbronnensis Poëta.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Attestum  
In presence of the  
Notary

1700



99 7 249

ULB Halle 3  
002 039 664  


Nur für den Lesesaal






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



66

DISPUTATIO NONA

DE BONIS OPERIBVS ET POENITENTIA.

Collecta ex Compendio Theologico Reverendi & Clarissimi viri, Dn. D. Heerbrandi.

Quam  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
Præside

M. VDALRICO NAGELIO,  
Brandenburgensi,

In Collegio disputationum privatarum 5. Calend:  
Martij defendere conabitur

M. VDALRICVS VVERNERVS,  
Oringensis.



VVITEBERGAE  
Ex officina Cratoniana, Anno 1598.